

Oratio in qua  
ostenditur &  
demonstratur quod  
causa quædam  
primaria  
belloꝝ...

Rudbeckius, Johannes,

*F1700 Br.992*




National Library  
of Sweden

RUDBECKIUS

F 1700 Sv. Saml.  
Nr 992 Fore 1700  
Lut. Tab. exp.  
(P. 2)  
o





# ORATIO

*Surdacul.  
Fide 1700  
Lab. tal. v. p. 4.  
(P. 11)*

In qua Ostenditur & Demonstratur

QUOD

CAUSA QUÆDAM PRIMARIA BELLORUM, DISSENTIONUM ET MULTORUM MALORUM IN ALIQUO REGNO,

*Non sit Magistratus Politicus, Neq; ejus Officiarij, Neq; Doctores verbi Divini: Sed præter peccata populi,*

PERDITI QUIDAM ET MALE EDUCATI JUVENES, Qui primo, Fundamenta veræ Religionis non bene dixerunt, postea dissolute vivunt, & deniq; ad hæreticos propter externum aliquod commodum deficiunt,

*Qui postmodum ad suos reversi, Dissentiones & omnia mala machinantur & de se pariunt, &c.*

HABITA UPSALIÆ

A

M. JOHANNE RUDBECKIO, NERICIO ibidem Professore P.

Cum illic Prælectionem Theologicam auspicaretur, 9. v. z. Aprilis An. 1611.

Hezech. 3. & 33.

*Speculator si viderit gladium venire, & non indicaverit, &c. Sanguis eorum qui gladio pereunt ex manibus ipsius requiretur.*

A R O S I Æ

Excudebat Petrus Walcius, Consistorij Typis ejusdemq; Typographus.



Prudentes consulunt Pravorum con-  
sortia sedulo vitanda.

THEOGNIS,

Pravorum vites consortia, jungere sanctis  
Catibus, hæc memori condita mente tene.

Namq; pio a catu condiscer plurima, pravus  
Eripit & quod habet mens tua consilij.

ÆSCHYLUS.

In quocunq; negotio pejus nihil est cum improbis  
consuetudine.

PLATO.

Malorum consortia fuge adeo, ut ne post eos  
quidem respicias.

XENOPHON.

Nam ignis eos tantum qui se tangunt urit.  
Mali etiam procul stantes inflammant.

NAZIANZENSUS.

Facilius vitia contagione contrahuntur quam  
virtus cum alijs communicatur. Sicut & morbus  
in alios citius quam bona valetudo transfertur.

LIPSIUS.

Ut pictor levi manu & volante penicillo ru-  
gas, verrucas, nævos in facie exprimit, haud tam  
facile ipsam faciem: Sic probitatem laboriose  
imitamur, at nullo negotio maculas illas animo-  
rum.

IDEM.

Pestes Animorum sodoles mali. Satis.

E. Imprudentes qui non faciunt.





vultu a pudorem. Hi v. si non omnes, saltem plurimi qui ad hujus modi Scholas se conferunt, pro temperantia, luxu & libidine atq; varijs cupiditatibus animum imbuunt, in lingua pro silentio lingua petulantiam, in vultu deniq; pro pudore & Modestia, audaciam & impudentiam cito citius acquirunt. Imo apud illos pro pietate hypocrisin, & assentandi Studiũ, Loco Prudentiæ calliditatem, & externas quasdam gesticulationes sibi familiares reddunt. Apud hos v. pro Religione Religionis Nauseam, pro Numinis & Sacrorum Reverentia eorundem supremum contemptum sibi comparant, adeo quidem ut nihil sibi Religiosius, nihil Majori sibi Laudi & existimationi ducant, quam si nullum DEO ejusq; Sacrosancto Nomini vel capitis apertione vel genuflexione, vel alio quovis Reverentiæ indicio honorem exhibeant. Ita v. claudis cohabitantes claudicare etiam nescientes incaute addiscunt Quæ omnia quorsum tandem evadant & quam Salutem ipsis & patriæ sint allatura, ominari nolo. DEUS omen avertat. Ejusmodi itaq; exhortationes (ut repetam) si quid valeant, apud bonos & cordatos certe valebunt, creberrime insti- tui apprime necessarium foret. Harum unam cum eo quo dixi tempore & occasione Upsaliæ habuerim, eam nunc tyis deman- dare placuit, Eamq; VV. tris II. b9. GG. b9 & FI. b9. & vobis præfer- tim qui ex hac mea Diœcesi Arosiensi illic degitis & meæ quo- dammodo fidei & inspectioni estis concrediti, inscribere & dedi- care visum est. Ex animo optans ut ea attentione & judicio a vobis legatur, ut quæ sana & salutaria suadere visus fuero, ita ut oportet acceptari & locum apud vos invenire valeant. Quibus VV. II. tes GG. tes & FI. tes cum universa Academia & omnibus Bonis DEO Ter. O. M. animitus commendo. Aros. 10. Aug. Anno 1637.

VV. tris II. GG. & II. b9. O. C.  
JOHAN. RUDBECK.  
Episc. Aros.

UNA EX PRÆCIPUIS CAUSIS  
MULTORUM MALORUM.



Nno 1604. Viri R. D. C. ne miremini, & vos præsertim Studiosi humanissimi, ad vos enim hic sermo est. Ne admiremini (inquam) Exordium insolens & inflatum, cum non sua sponte, sed ab æmulis & adversarijs provocatum & tantum non extortum in mediũ prodeat. Nec insipientem me putetis. Alioquin si putatis ut insipientem nihilominus audite, ut & ego modicum quod gloriar. Quoniam multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Libenter enim suscipitis insipientes. cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim, si quis vos speciosis verbis decipit, si quis vos in servitutem redigit, si quis devorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Quod tamen non ad ignominiam sed ad correctionem dico. Sustinete ergo, si plures etiam de se suisque rebus præter morem aliquid dixerint. Talia etenim audire vobis haud novum est. Sed ad rem venio. Anno ut dicere capi 1604. Quando post multa itinera & labores ac difficultates non paucas in patriam redij, primo omnium quod me pietas facere Jubebat, huc ad Academiam me cõtuli, ut præceptores meos de me optime meritos, Reverendos & Clarissimos viros M. IACOBUM ERICI & M. LAURENTIUM PAULINUM, tunc temporis hic professores primarios inviserem & Salutarem. Sed præter omnem spem & propositum meum contigit, Divina procul dubio sic disponente providentia, ut ab ijs & Reevediffimo Do-

mino B. Memoria M. O L A O M A R T I N I tunc Archi-  
Episcopo desideratissimo, ad Professionem Matheseos  
quæ tunc vacabat sin postulatus. Quibus etiam pro-  
curantibus paulo post circa festum Bartholomæi a R. a  
M. te ad hanc Professionem confirmatus sum.

Eo anno, siquidem fere elapsus erat, & jam pu-  
blicum Examen inttabat, habita pro introitu oratio-  
ne solenni, Ciceronem pro Marco Marcello publice  
propofui: Et Eloquentiæ studiosis artificia Rhetorica,  
& modum imitandi orationes Ciceronis indicavi.  
Tum etiam in imitando Cicerone & scribendis ora-  
tionibus utcunq; exercui, ut etiam in publicum pro-  
dierint inq; præsentia Professorum memoriter de-  
clamaverint. Disputationem publicam habui de Mix-  
torum Generatione & interitu. Anno sequenti 1605,  
ad examen, publice absolvi Arithmeticam & Alge-  
bram P. Rami, Arithmeticam figurativam & Logisti-  
cam Lazari Schoneri, Geometriam, Geodasiam & Ste-  
reometriam. & exercui meos discipulos in dimetiendis  
omnis generis magnitudinibus, lineis, planis, corpori-  
bus, investigando earum longitudinem, aream, crassi-  
tatem, & quæcunq; ad hanc rem alia pertinere videban-  
tur. Ipse etiam secundum præscripta Artis Radium  
Geometricum duplicem fabricavi, majorem & mino-  
rem, & usum quoq; Quadrantis in Dimensionibus cor-  
porum cælestium ostendi. Privatim absolvi integram  
Logicam Aristotelis, cum omnibus controversijs quæ  
de Logicis rebus moveri solent. Publice disputavi u-  
niversam Meteorologiam quatuor Disputationibus;  
Privatim organon Aristotelis II. Disputationibus.

ANNO Anno 1606. translatis classibus & mutatis audito-  
ribus, easdem lectiones ad finem perduxit. Privatim

v. Logicam integram proprijs laboribus & vigilijs conscriptam. Publicas Disputationes tres habui de Anima, & quartam sub meo Præsidio Humaniss: & Doctiss: Vir Dominus SAMUEL MALMENIUS de Loco. Privatim de controversijs Logicis Disputationes undecim. Ita quotannis absolvi Logicam, Arithmeticam, Logisticam, Algebra, Geometriã, Geodesiam & Stereometriam. Quotannis Disputationes quindecim, præterquam quod in latina & Græca lingua nonnullos mihi peculiariter comendatos, quotidie instituebam.

Anno 1607. vicissim, ipsa necessitate & amicis etiam svadentibus cum venia S. R. M.<sup>tis</sup> in exteris nationes profectus sum, ut lingvis & Theologiæ ex professo operam darem, quod etiam quantum potui diligentè & sedulò feci. Wittebergæ à quibusdam rogatus privatum collegium aperui, in quo horis successivis Logicam, primò quam ipse conscripseram, Deinde, Logicam Aristotelis & ejusdem Metaphysicam enarravi, & easdem 20. Disputationibus ventilandas proposui. Unde tantum lucratus sum, ut nisi me patriæ & parentum amor huc retraxisset, meliorem unquam conditionem non fuissè quæsiturus. Siquidem a. tempore Bartholomæi, ad festum trium Philosophorum, quo hæc exercitia absolvi. 20. circiter hebdomadarum spatio, non exiguam pecuniam pro meo labore, mihi spontè numerarunt. Et si plura his adjungere voluissè, præsens pecunia fuit oblata: Verum quia studijs Theologicis mihi impensius fuit invigilandum, eorum petitioni annuere non potui. Discipulos habui ex diversis nationibus viros Humanissimos & doctissimos. Ex Germanis quorum nomina succurrunt, *Henricum Sevaldum, Magdeburgicum, Christopherum*

*Fran-*

*Francum & alios. Ex nostratibus Dominum Simonem Olai Nauclerum, Stocholmensem, Dominum Christophorum Anundi, Wermelandum, Dominum Jacobum Johannis, Angermannum, Dominum Johannem Watrangium, M. Daniele Petri, Calmariensem, præter omnes ferè Svecos qui tunc ibi Studuerunt.*

Sed tandem ut patriæ inservirem cujus gratia potissimū hoc iter susceperam, relictis Musarum sedibus & commodis omnibus, huc Upsaliam redij. Ubi quid egerim, quid annum & amplius præstiterim, notius est quam ut repetitione ulla indigeat.

Etiamsi igitur nihil mihi optati<sup>o</sup> contigisset, quam Professionem Philosophicam in qua me tam diu exercuissem, diutius retinuisse, Nam ut ait Eurip. *Omne id cui asvesacti sumus dulce est.* Neq; ignorarem quanto cum vitæ & fortunarum omnium periculo Professio Theologica conjuncta esset in ijs præsertim Regionib<sup>o</sup> ubi levissima sæpe ingenia reperiuntur, quæ modo hanc modo aliam religionem sectantur, nec se unquam puro & incorrupto Dei verbo contenta reddunt. Ubi Diabolus modo Pontificios modo Calvinianos incitat, qui partim dolis & fraudibus, partim vi & injuria veritatem oppugnant. Non deniq; me lateret, hoc munus si cum laude geratur, scientiam prope infinitam, non modo lingvarum & artium; sed etiam totius antiquitatis & omnium historiarum requirere. & hæc omnia in me quam sint exigua probe scirem: tamen cum nemo alius hoc tempore esset, qui grave hoc & periculosum onus in se suscipere vellet; sed alij propter pericula sese subducunt, alij labores subterfugiunt, alij pauperiem ferre nolunt, magis Ecclesiæ necessitatem, quam vel propriam utilitatem, vel ad tantum mu-

nus gerendum aptitudinem respiciens, hanc meis humeris Sarcinam imponi passus sum. In qua ferenda cum mihi cætera omnia doctrinæ præsidia & adjumenta desint, Studium & laborem desiderari non patiar. Deum a. spero qui me ad hoc officium, illud neq; sperantem neq; ambientem vocavit, etiam Gratiam largiturum, ut cum vestro & multorum fructu & emolumento illud sustineam.

Quia v-nova professio mihi suscipienda est, & usitato more exordium a declamatione faciendum, avide omnes expectare scio, qua de re potissimum hæc futura sit oratio. Cum alij facultatem quam profitebuntur, alij virtutem aliquam in tali casu laudandam, alij aliud quid tractandum suscipere soleant. Et sane si vestram salutem & informationem meo commodo post ponerem, illud quoq; essem facturus. Nunc vero ut vos etjam aliquando, qui adhuc ætate & prudentia juvenes estis, & quovis vento huc atq; illuc facile movemini, aliquando inquam, si modo velitis, sapere discatis, de alijs rebus magis necessarijs mihi dicendum sumam. Etiam si vero dubium non sit, plures adesse discendi cupidissimos, qui de præceptoribus suis optime sentiunt, tamen æque certum est, multos comparuisse, tantum novitatis studio, vel ut aliqd audiant, quod postea calumniatur & in sinistram partem detorqueant. Quorum ego vicem sane doleo & deploro. Namq; mallem me aut non natum esse, aut quam primum lucem hanc aspexi, extinctum, quam nomine & re diaboli collegam, hoc est calumniatorem reperiri. Novi & quidem exacte novi, plures ex presentibus esse, qui non tantum me, sed etiam cæteris fere suis præceptoribus, se longe meliora sapere sibi per-

suaserunt. quod utinam verum esset, sed vereor ne multum fallantur, & tantum inani Sapientiæ persuasione sint imbuti. Nam etiamsi Latina aliquot vocabula teneant, versum fortasse ab alijs compositum sibi vendicare didicerint, nomina & distributiones artium preceperint: Tamen in rebus ipsis, quam parum versati, quam crassa etiam articulorum Fidei, & suæ Salutis ignorantia laborent, res ipsa loquitur. Si ex tot admonitionibus inanem hanc persuasionem tandem deponere vellent, non ambigo quin adhuc multa scitu digna possent percipere.

Humanissimi Domini Studiosi, Discipuli & Fratres, mihi me ipso longe chariores, ut demum ad rem veniam, neq; diutius qua de re dicturus sum vos suspensos teneam, a proximis faciam exordium. Videtis hæc tecta, has fenestras, hoc pavementum videtis. Proximum Archicathedrale templum, tot sumptibus tantisq; impensis extructum, Professorum domicilia, templi ædificia, videtis ut ruunt omnia. Quæ Majores nostri a fundamentis erigere potuerunt, ea nos facta tecta conservare non valemus. Videtis inter vos ipsos quanta sit discordia, quanta quorundam petulantia & effrenis impudentia, ut non modo alter alterum convicijs laceret, sed in ipsos etiam Præceptores contumelias effundant. eoq; impudentiæ progressi sunt, ut quando a Præceptoribus arguuntur, non modo non desistunt, sed mire sibi in nequitijs placent. Et ut

Salomon inquit, *latantur cum male fecerint & exultant in rebus pessimis.* Ut non immerito exlamemus, *O tempora, O mores.*

Si ab Academia ad Scholas, & Tempa, ab his ad omnia patriæ loca oculos convertamus, ubi non est querimonia

rimonia, ubi non est ejulatus: domi pauperie & laboribus gravamur, foris ab hostibus circum quaq; petimur. Docentibus in Scholis & Ecclesia reditus imminuuntur, Mercatoribus & Agricolis exactiones multiplicantur, ager jacet incultus, fundi deserti, *infelix lolium steriles dominantur avena.* Bella & seditiones omnes angulos compleverunt, ab una parte Polonus servitutem corporis & animæ nobis minatur, ab altra parte Datus jugulum nostrum petit, ille Pontificius, hic a Calvinianis non multum alienus. Pejor est ubiq; rerum status, tristior facies, quam vestrum aliquis, hac ætate & his moribus olfacere possit. Et ni Deus avertat, quod tamen sperare volumus, in proximo est ut omnes pessum eamus.

Verum si Deus hodie aures & oculos vobis aperire dignaretur, ut aliquid intelligere velletis, & quæ vestram ipsorum incolumitatem cōcerunt, saltem cogitare possētis: facerē profecto, ut horum malorum causas non divinando assequeremini, sed in tabula q. depictas vederetis, & quidem quantum in nobis est declinare conaremur. Hoc a. non figmentis Rhetoricis aut verborū flosculis, sed planissime & simplicissime faciam, ut non tantum doctiores, sed etiam rudiores quid dicam scilicet intelligant. Nam si vos decipiendi mihi animus esset, artificijs Rhetorum opus esset, in ducendis affectibus, in comovenda ira, in excitando odio, in conciliando amore, in movenda commiseratione, verbis fictis & pictis utendum esset. Nunc v. cum mihi nihil propositum habeam præter ipsam veritatē, & vestrum comōdum, his machinis opus non est. Hoc tantum vos oro & obtestor, per Divinam veritatem, per patriæ, vestram vestrorumq; parentum & amico-

rum Salutem: Si prudenter de his rebus defferere vobis visus fuero, & veritatem dixerò, ut meo caterorumq; præceptorum vestrorum consilio pareatis. Sin falsa & vana dixerò, non velim ut mihi unquam post hac fidem habeatis, sed potius ut veteratorem & impostorem cane pejus & angue fugiatis & excremini. Sed timeo ne surdis narretur fabula. *Itis quo itur, non quo eundum.* Nam ut poeta inquit,

*Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.*

Profecto, non hic de arcendis stillicidiis aut de fundis reparandis agitur, non de cæpis aut allijs, non de quæstionibus Logicis aut subtilitatibus Metaphysicis, quæ sine periculo ignorari, & interdum cum laude oppugnari possunt; Sed de patriæ salute, de vestra totiusq; Posteritatis si quæ futura est, temporali & æterna felicitate luditur. Quamobrem si unquam vestra salus vobis cordi est, si animus non plane obduratus, si ingenui homines estis, quales hæc terra producere solet, parentum vestrorum & majorum virtutes imitemini, quando quæ vera, quæ honesta, quæ utilia sunt, vobis ostenduntur, ea sponte credatis, prompte faciatis, & perpetuo retineatis. Quod dum ego pro virili fecero, ut me patienter audiat etiam atq; etiam rogo.

Quando Deus Opt. Max. qui *divus est in misericordia* ut inquit Apostolus & fons omnis bonitatis, videbat nos diu satis tenebris pontificijs & erroribus Antichristi implicatos fuisse, neq; inde se explicandi, ullum humani auxilij locum, tandem ex immensa bonitate & infinita misericordia sua nostri misert<sup>9</sup>, respexit calamitatem nostram, inclinavit aures precibus nostris, gemitus & suspiria percepit, misitq; electum organon suum B. Lutherum, qui per se quidem abjectus & contemptus erat homuncio; verum virtute Dei tenebras discussit, errores detexit, fraudes patefecit, & semitam

mitam aeternae salutis quae diu occultata fuerat, nobis planissime demonstravit. Potentiae & Tyrannidi pontificis quam orbis terrarum Principes & Monarchae metuebant, solus sese opposuit & fortiter repressit; Neq; n. difficile erat, cum armis quibus ille utebatur, hi prorsus destituti essent. Pontificij namq; multis seculis verbo Dei neglecto & corrupto, omne studium in traditionibus patrum & suis somnijs collocarunt. Cum jam doctrina illorum verbo Dei tanquam ariete validissimo oppugnari cepit, subito everfa & prostrata est. Ita ut intra paucos annos, non provinciae aliquot, sed integra regna, Germania, Anglia, Scotia, Dania, Norvegia, haec nostra Svecia, Bohemia, & magna pars Galliae & Poloniae a iugo Pontificis liberata, & sub obedientiam Evangelij, felici omine revocata sint.

Sed *Micah. 3. 8.* ille Diabolus, salutem hanc insperatam nobis invidens, cum videret regnum suum tantum pati interitum, & Christi Regnum quotidie magis magisque accrescere, non diu quievit, quin mox e baratro excitavit homines inquietos & gloriae cupidos, qui reformatione per B. Lutherum facta se contentos non redderent, sed ipsi nominis acquirendi causa aliquanto melius reformarent. Et primo quidem Carolstadium hominem superbum & inflatum, qui de caena Domini, de imaginibus, & caeremonijs quibusdam Ecclesiasticis, turbas & tumultus maximos in Ecclesia dedit. Post hunc Ulricum Zvinglium & Johannem Calvinum, sibi alijs hominibus plus eruditionis arrogantes, qui simpliciter verbo Dei fidem adhibere noluerunt, sed ea quae cum ratione humana pugnare videbantur, suis glossis & pigmentis in alienum sensum trahere conati sunt, ita quidem ut ipsius Christi & Apostolorum interpretationem convellere & rejicere non dubitarent. Quod in Calvino Judaizante B. D. Hunnius & alij demonstrarunt. Qua ratione non

modo multi a simplicitate in Christo Jesu seducti sunt. Sed etiam propter discordias, non dum conversis, de nostra doctrina dubitandi ansa injecta est. Eodem ferme tempore in scenam produxit Casparum Svencofeldium hominem levissimum & gloriæ cupidissimum, qui non tam verbo Dei, quam somnijs & nocturnis revelationibus fidem habere voluit, quæ ejusdem ingenij & farinæ plurimi secuti sunt. Tandem Anabaptistas non unum aut alterum sed catervatim immisit, homines impuros & ignavos, qui ut eo liberius ocio & libidini sese darent, Magistratū sustulerunt, omnia communia etiā uxores esse volebāt. Unde sub specie libertatis Christianæ subditos contra Magistratum armarunt, seditiones moverunt, & nefanda quæq; sine ulla commiserunt verecundia. Et quoniam hæc contra Scripturas esse facile intelligebant, ijs rejectis, nocturnas revelationes pro veritate venditarunt. Atq; hæc omnia Diabolus studiose curavit, ut partim horum turpitudine & sceleribus labes aliqua reformatæ Doctrinæ aspergeretur, partim ut homines adhuc sub Pontificia superstitione detentos, cum tantas viderent inter Reformatores Ecclesiæ discordias, a patefacta veritate alienaret.

Quibus machinis Diabolus etsi vel maxime cursum Evangelij se impedire animadvertit, ijs tamen se minime contentum reddidit: Sed per vicarium suum Antichristum Romanum, insuper fulcra excogitavit, quibus suum regnum aliàs ruiturum fulcire & stabilire posset. Nimirum Collegia cum Romæ in Italia, tum in Germania Gretzæ & alibi aperienda censuit, ubi Germanis, Svecis, Danis, Anglis adolescentibus victum & alios sumptus ad studia necessarios suppeditaret, si fortè spe commodi illuc allesti, & ipsius artibus fideliter instructi, quilibet in suam patriam redire, eamq; sub jugum Pontificis reducere posset. Non enim dubitavit, quin multi ex his nationibus pauperes & ingeniosi, cum audirent alibi sumptus sibi paratos esse ad studia continuanda eo se conferrent potius, quam domi Studiorum telam ab-

rumperent. Multos etiam cum experientia causa Romanam venirent, potius illic gratis, quam alibi magnis sumptibus victuros. Quæ opinio sane ipsum nequam fefellit.

Nam ab eo tempore quo hæc collegia sunt adornata, quotannis aliquot reperti sunt, qui vel novitatis studio, vel tolerandi sumptus gratia eo se contulerunt, ubi postea animæ & corporis naufragium fecerunt.

Etenim ut eos tantum commemorem qui mihi innotuerunt, & iam nuper apostatæ facti sunt, satis magnam eorum copiam esse invenietis.

Inter hos facile princeps erat quidam A. Pretorius, qui ingenio & eruditione fateor multum pollebat. Sed ut vel cæcus videat quæ colluvies hominum ad Jesuitas confluat, referam vobis breviter qualis hic fuerat, & qua occasione ad eos se contulerit. Iste Prætorius primum hic Ubsaliæ aliquandiu, ut quibusdam hodie mos est, non studijs sed stupris, non libro sed Libero invigilavit, sed cum propter nequitias & inobedientiam erga præceptores se omnibus invisum animadverteret, in Germaniam abiit. Ibi easdem artes exercuit scilicet Veneream & Bacchicam. Sapissime tumultus & turbas, assiduis Symposijs & nocturnis grassationibus concitavit, omnibus molestus & injurius fuit, sibiq; summæ voluptati esse iudicavit, si quæ vel percuttere, vel alia injuria laceffere posset, donec tandem quod talibus contingere solet, a Germano quodam brachium transfixus dextræ manus usum amisit. Qua sane divina castigatione admoneri ipsum oportuisset, ut anteactæ vitæ penitentiam tandem egisset. Sed exinde multo furiosior evasit, ut postea non rarius sed sapius ad professores delatus in jus vocatus sit. Verū quid multis opus est, si omnia

omnia

omnia ejus facta percenterem me dies deficeret. Hic Witebergæ alium quendam sui non ab similem inuenit, Sigfridum B. cum quo peregrinationem postea suscepit in Bohemiam, Austriam, Sveviam, Helvetiam, & circumcirca jacētes regiones: in quo itinere quas neqtias exercuerint, quæ facinora patrarint, quando Witebergam reversi sunt, non puduit ipsos referre & ostentare. Sed non diu ibi fuerunt priusquam alter ille propter vim illatam civi cuidam, ab Academia publice relegatus est. Ita tandem post multas quas contempserat admonitiones, præceptorum suorum maledictionem in se derivavit. Quæ etiamsi levis & contemnenda in principio videbatur, tamen satis gravis opinione citius ipsi facta est, quod ex sequentibus audietis.

Sigfridum ab Academia relegatum comitabatur Prætorius, propter arctum sc. in nequitijs & sceleribus perpetrandis amicitia vinculum. Quando Rostochium venerunt, cum se vino mediocriter ingurgitassent, alter alterum ex amicissimis gladio transfixit. Hic fuit exitus unius. Unde caveant sibi potatores & præceptoribus immorigeri. *Sera tamen tacitis pana venit pedibus.* Alter v. cum iam propter eadem commissam videret sibi reditum in patriam esse præclusum, huc atq; illuc in Germania oberrans, ex mēdacio & mendicitate pauperiem sublevavit, donec hujus pertæsus Gretzam ad Jesuvitas se contulit. Ubi quam pænitentiam egerit, quamq; vitam vixerit, ex ijs cognoscere licet qui apud eum illic fuerunt. Non melior redditus sed deterior, ut iam omnem pietatem & religionem pro ludibrio habuerit. Ad extremum Deus longanimus quidem & misericors, sed etiam justus & acerrimus scelerum vindex, eum blasphemum & veræ religionis irri-

forem

forem inter ulnas meretricis Babylonicae, miserrime vitam finire passus est. Hic fuit exitus duorum Studiosorum, qui præceptoribus imorigeri, sanas admonitiones nunquam admittere voluerunt. Atq; hæc quidem tolerabilia essent, nisi verendum quoq; eorum animas æternum exitium luere, quod tamen Deo judicandū relinquimus. Quamobrem expergiscimini vos potatores, & noctuæ lucifugæ, *et tandem in alio periculum facite quod vobis ex usu fiet.* Nam ut ait Herodot. (*Nemo hominum delinquens penam non persolvit*). *ἔδεις ἀνδρώων ἐδικαίον τιόν ἐκ ἀπορίας*

Horum gregalis tertius Ericus E. vobis procul dubio notus, Etiam ex Academia Witeb. propter maleficia relegatus, eodem se recepit, ubi tantum ex poculo meretricis Babylonicae hauserat, ut vix unquam ad sanam mentem revertatur. Cujus vitam si vobis describere vellem, quorundam qui apud nos Studijs operam dant, non absimilem videretis.

Hæc ideo Studiosi juvenes potissimum commemoro, ut vel clausis oculis videatis, quales sint plures illorū qui a nobis ad hæreticos deficiunt. Jacobus A. optimi parentis filius dissimilim<sup>o</sup> etiam cum diu contumaciam erga patrem & præceptores suos hic exereisset, in Germaniam venit, cumq; propter contumelias quasdam in Magistratum, in patriam redire non auderet, deniq; simili successu Romam ivit, ubi morte subitanea vitam finivit.

Plures horum similes novi, sed fortasse pars vestrum existimabit me odio quorundam hæc effinxisse, ut omnes qui apud pontificios fuerunt magis invisos reddam. Nego hoc, & si cui mea fides forte suspecta est, quærat ab ijs cum quibus interdum conversationē

habuerunt. Verum ut omnis dubitandi ansa vobis præcidatur, quartum vobis adducam. Notus est pluribus Henricus ille Holmius, nota etiã ejus descriptio, quæ nuper edita est, quæ si vera est, ut facile crediderim, meam sententiam valide confirmat. Et profecto cum plures ejusmodi Jesuitæ discipulos habeant, est quod de fideli & egregia institutione glorientur.

Colophonis loco addam illum Petrum Erici Romanevitz, qui qualis fuerat etiam paucis audite. Hic primum Stocholmiæ fuit traditus inspectioni B. Memoriaræ M. Nicolai Bothniensis. Sed cum erga ipsum tam immorigerus esset, ut nulla plane ratione in ordinem redigi posset, mox ab eo rejectus est. Postea cum huc Upsaliam venisset & propter negligentiam ac petulantiam suam a R. Dno. Archiepiscopo nostro, tunc professore hujus Academiæ primario paululum castigatus esset, eum minis & convicijs insectatus est. Deniq; cum nullibi propter maleficia commode versari posset, ad pontificios tanquam ad tutum omnium nebulonum receptaculum se contulit, apud quos brevi tempore tantum profecit, ut a tribus Dñis simul Stipendium mereri potuerit, vz. a Pontifice a Rege Poloniae, & a Rege nostro Clementissimo. Sed cum fraudes & imposturæ ejus deniq; patefactæ essent dignum factis exitium invenit. Prætereo Laurentiũ illum B. prætereo Carolum, & similes plures, quos nullo negotio percensere possem, quia forte aliàs vobis innotescunt.

Iam ad vos ipsos, ad vestram appello conscientiam. An si Deus ut illi somniant, aliquem ab erroribus ad sanam doctrinam convertere voluisset, his nebulonibus, omnium religionum contemptoribus sceleratissimis, hanc gratiam præstitisset, an v. simplici alicui, qui pro sua & aliorũ salute quotidie

tidie supplicationes facit, hoc beneficij contulisset: Nisi quis cum ratione insaniat, credo videat, quod non ex hæresi ad Ecclesiam, sed in pænam antegressæ impietatis à patefacta veritate ad mendacium defecerint. Ut ea ratione propter tantam pertinaciam non tantum temporaliter, sed etiam æterno corporis & animæ exitio punirentur. Sed de his quid dicam; multi ejusdem farinae Marpurgum postquam Calvinismus illic invaluit, & aliorum ad Calvinianos properat Philosophiæ Rameæ, ut illi prætendunt addiscendæ causa. Quasi Philosophia Ramea tanti sit momenti, ut propter illam in æternæ salutis periculum nos conjiciamus.

Ex his & horum similibus hæretici, postquam eos in omni versutia & fraudibus satis instruxerunt, speculatores & corycæos in aulas Regum & principum, in Academias & urbes orthodoxas emittunt, eosq; pecunijs instruunt, ut splendide vestiri & sumptus facere possint, quo magis grati & accepti omnibus fiant. Hi scribunt, hi nuncios mittunt, quid apud nos geratur, quæ consilia agitentur, quis rerum omnium status sit. Hi propter amplissimas sibi factas promissiones, omne studium adhibent ut Reges & viros principes in suam sententiã deducant, aut si hoc efficere nequeant, veneno, aut insidijs aut quovis modo e medio tollant, vel deniq; juventutem & saltem quosdam ad se pertrahant. Quid non modo nuper, sed etiam sæpius factum sit, quomodo regibus insidias struxerint, eosq; interfecerint, credo ad vestras aures pervenisse. Quid in Gallia, in Anglia moliti sint vulgo notum est. Quid opus est peregrina proferre exempla, cum domestica habeamus quamplurima. Laudatissimus Rex Augustissimæ Memorix JOHANNES III. Fautor nostri ordinis singularis, nullis sumptibus pepercisset in Scholas & Tempia, in Disciplinas liberales & verbum Dei erogandis, nisi ab

hujus farinae deceptoribus fuisset retardatus. Qui tantum apud ejus Maj.<sup>com</sup> suis artibus effecerunt ut tandem magis ad illorum supstitutionem quam veram religionem inclinatus, illam promovere, hanc quodammodo impedire conatus sit. Horum svasu & consilii procul dubio filium quem habebat natu maximum, in Pontificia religione educari curavit. Unde nisi quis in ipsa meridie caecutire velit, maxima mala & fere omnia, quibus nunc praemimur, sublati quasi repagulis, patriam nostram inundasse videt.

Quomodo plurimis in locis, cum in Germania, tum in Polonia latitent nostrates Jesuitorum, & de nostro totiusque patriae interitu machinentur, vel lippis & tonsoribus notum est. qui quod Deus avertat, si opere compleverint quod animo conceperunt, non modo de praesenti felicitate, sed etiam aeterna salute periclitabimur.

Haec quae ex multis pauca breviter commemoravi, studiosi ornatissimi, si mecum perpendere volueritis, non diu haerebitis, quae rerum quas dixi causa & origo sit. Videlicet ut repetam, cur Tempia & Scholae corruant, inter Docentes & Discipulos perpetua discordia & contentiones sint, nunquam pacem consequamur, nunquam ad aliquem ordinem & certam legem perveniamus. Quas si intellexeritis, nolite dubitare malis hisce quae patriae, quae vobis, quae bonis denique omnibus interitum & rerum omnium vastitatem afferunt, strenue vos opponere.

Alii Magistratum inique calumniantur, quod is, nimirum cujus est sumptus praebere, in culpa sit, quod non necessaria suppeditet, vel cum ejus sit pacem procurare, bonas leges condere, & statuta alijs praescribere, talia negligat.

Alii in continua bella causam conferunt, vix quia haec tot sumptus exigunt, nihil reliquum esse quod in Scholas & Tempia conservanda impendatur. quam equidem causam ut non improbo; Sic primam & principalem esse audacter nego.

Alij

Alij eos accusant quibus hæc officia sunt commissa, ut Ædiles & publicarum ædium curatores. Quod negligenter officium faciant, & redditus infideliter collocent.

Alij deniq; in Ecclesiæ Præsules & Doctores ipsos, qui nunquam concordiam alere, sed contentionibus & perpetuis jurgijs indulgere gaudent.

Sed profecto hi plus rationis non habent, quam canis lapide verberatus, qui omnem iram in lapidem convertit, eum v. qui lapidem misit stolidus præterit: ita hi causas propinquas & instrumentales vident, principalem non attingunt. Principalem igitur & prope solam horum causam non solum dico, sed etiam ex ijs quæ audivistis esse palam ostendo, *Quod multa apud nos levissima ingenia, primo a parentibus male educata, deinde ubi ad Academiam veniunt, similiter dissolute vivunt, unde quamcumq; occasionem quærunt deserendi fideles & antiquos præceptores, & sese illis associant apud quos licentiam & quidvis faciendi indulgentiam consequuntur. Deniq; quando in exteras nationes pervenerint, ad Pontificios vel Calvinianos se conferunt, vel quod sperent se illic sumptus ad studia continuanda liberos habituros, vel quod licentiam majorem illic se consecuturos autument, vel demum quod existiment omnia quæ apud nostros proponuntur, nimis vulgaria & trita esse. Nisi ad Jesuitas vel Calvinianos pervenerint, se haud magno in numero futuros. Sic enim quidam apud se cogitant: vide, hic Rostochij, hic Helmsteti, hic Witeber-*

gæ, hic Jena, hic Tubingæ plurimi sunt mei populares  
& sympatriotæ qui me noverunt, si hic mansero, tunc  
quando in Patriam rediero, sciunt hi & referunt, qui-  
bus rebus operam dederim, quem in Studijs profectum  
feceram. Si v. in Italiam, in Galliam ad Jesuvitas me  
contulero, vel in Belgium aut aliorsum ad Calvinia-  
nos, ubi nostrates sunt pauciores, tunc aliquid peculia-  
re audiam, omnes putabunt me totum tempus quo ab-  
fueram in studijs consumpsisse, omnes me admirabun-  
tur, omnes me supra modum doctum & peritum virū  
judicabunt, quod profecto aliās assequi non possum.  
Atq; etiamsi ad tempus cum illis collusero, & religio-  
nem dissimulavero, possum tamen credere quicquid  
mihi placet, & cum visū fuerit ad meos vicissim redi-  
re. Sic illi secum ratiocinantur. Sed inquires, an nō  
ita est? nonne potest aliquis inter hæreticos versari,  
nec tamen illis fidem habere, nec ab eis decipi? Nam  
si nostra Doctrina firmis & immotis rationibus ex ver-  
bo Dei superstructa est: Illorum, tantum quibusdam  
nugis & fallacijs innititur, cur aliquis non videret il-  
los errare, & in agnita veritate persisteret? Iam illud  
quoq; vobis dicam, saltem ut facitis diligenter attendi-  
te. Attamen fere omnes qui ad illos Studiorū gratia se-  
se conferunt, maxime qui illorum sumptibus vivunt  
testè experiētiā decipiuntur. Causa est, quod pleriq;  
juvenes, in vera Doctrina rudes, & præterea securi &  
impij sunt, qui eo se recipiunt. Quando v. illuc per-  
venerint, humaniter illos excipiūt, & verbis melle sva-  
rioribus alloquuntur, secum deducunt in Templo-  
in Collegia, in Bibliothecas, ostendunt monumen-  
ta & Antiquitates, tandem familiares facti, paulatim  
de religione quærunt, quid statuant, quæ illorum sit

sententia. Si benè dixerint, statim subinferunt: *Ja*  
vide, vere dicis, hæc nostra Religio est antiquissima, non  
tantum in Scripturis fundata; sed etiam omnium Patrū  
unanimi consensu corroborata. Deinde aliquot lo-  
ca Scripturæ proferunt, vel ex vitiatas translationibus  
deprompta, vel in alienum sensum detorta. Ab his  
ad Patres se conferunt, quos magno numero produciunt  
quosdam supposititios, quosdam ab ipsis corruptos. Si  
quas sententias noverunt quæ primo intuitu eorum er-  
rorib⁹ favere videntur inquirunt & ostendunt. Vide in-  
quiunt, a nostra parte esse Scripturas, esse Patres, possu-  
mus etiam continuam successionem Pontificum Roma-  
norum ab Apostolo Petro usq; ad Sanctissimum patrem  
nostrū q̄ nunc sedet ostendere, q̄ per manus acceperunt  
Scripturas & Scripturæ verā interpretationem. Isti Lu-  
therani vix ante 100. años nati, ubi fuit doctrina Luthe-  
ri tot seculis, an verisimile est omnes fuisse errorib⁹ im-  
plicatos? Et Christum contra promissionem suam to-  
tum illud tempus Ecclesiam deseruisse? Neuti-  
quam. Procedunt ulterius, & miracula quædam ficta,  
quædam præstigiosa recensent, quæ à Monachis &  
Eremitis facta dicunt, quæ profecto (inquiunt,) non est  
verisimile facta esse in falsæ doctrinæ confirmationem.  
qui n. Deus hoc fieri permetteret? Si quis aliter se de  
eorū doctrina sentire affirmaverit, eodem modo ad po-  
pularia quædam confugiunt, ostendunt quot Scholæ &  
Academiæ Põtificiæ religionis sint, quot Reges & Prin-  
cipes, quot Regna & provinciæ, quot maximæ civitates  
illi addictæ, quot docti & eruditi viri, in omnib⁹ lingvis  
& artibus illic reperiuntur. An verisimile est (inquiunt)  
hos omnes delirare, & misellos aliquot homuncio-  
nes in extremo angulo Germaniæ vel Sueciæ solos sa-

pere! Ostēdunt maximas Bibliothecas & cognitionem  
antiquitatis ostentant. Quid habent illi Lutherani,  
nisi quod a nobis acceperint, viden' quæ facies Ec-  
clesiæ apud nos sit? Un' præest omnibus, Summus Ponti-  
fex tanquam Dux & Pastor universalis omnium capra-  
rum, huic subsunt Cardinales & Episcopi, qui vicissim  
habent suos suffraganeos & minores ordines, viden',  
quam liberales erga Scholas & Ecclesias, quam devoti  
& religiosi sunt; apud vos omnia frigent. Si nobiscum  
manseris, hæc omnia tibi demonstrabimus, & hic plus  
uno mense discas quam apud illos añum integrum, te  
ita instituemus, ita promovebimus ut brevi ad maxi-  
mos honores & dignitates pervenias. Atq; ita sua au-  
thoritate, multitudine, splendore & externa specie a-  
nimum adolescentis replent & occupant, suisq; maxi-  
mis pollicitationibus ad se alliciunt.

Iam ponite vobis ante oculos juvenem quendam, qui  
primo vix articulos veræ religionis teneret, multo minus in  
controversijs & disputationibus esset versatus, deinde disso-  
lute vixisset, neq; pietatem vel religionem magni faceret,  
cum audiat citari Scripturam, nominari Patres, videat tantã  
doctorum virorum coronam, quid sit responsurus: ane jam  
mox palmam dabit, victus ad eorum partes concedat?

Pellectum deinde in sua retia, jurare cogunt, & illo-  
rum religioni se obstringere; Postquam satis confirmatum  
vidēt, quia beneficiũ ab illis acceperat, jubent quæcũq; velint  
facere: si reluctetur, vel eijciũt vel extremis supplicijs mactāt.  
Nec est quod apud illos se posse latere quis putet, Nam Ro-  
mæ & alibi certos habent huic negotio deputatos corycæos,  
qui quotidie hospitia lustrent, ac si quos perigrinos advenisse  
deprehenderint, dicto modo illos circumveniant.

Credite mihi, nam ipse etiam apud Jesu vitas fui & illo-  
rum Lenocinia in nonnullis expertus sum. Et hæc ita apud  
Jesu-

Jesuvitas geruntur. Apud Calvinianos hæc neq; minori diligentia neq; minori astutia fiunt. Quippe in decipienda juventute & suis erroribus propagandis nullum non lapidem movent: quod si tempus pateretur non difficile probari posset. Sed hæc sufficiunt.

Jam ex dictis sic mecum ratiocinemini: Quicumq; ignarus controversiarum religionis, & in vera religione non satis confirmatus, præterea impius & Epicureus ad hæreticos se confert, is ab hæreticis decipitur & fit hæreticus. Qui ab hæreticis decepti sunt, ad suos reversi, alios libenter decipiunt & in suam sententiam deducunt, tantoq; magis quod ab hæresiarchis ad hanc rem magnis præmijs & pollicitationib<sup>9</sup> conducuntur. Ubi in aliqua regione plures sunt falsæ Religionēs, præsertim in aula & præcipuis functionib<sup>9</sup>, omnes conat<sup>9</sup> & consilia promovendæ veræ Religionis impediunt & discordiam in religione fovent. Ubi discordia est in religione sive aperta sive clancularia, ibi cult<sup>9</sup> Dei, Tempa & Scholæ concidunt & omnia in deteri<sup>9</sup> ruunt. Ergo a primo ad ultimum: Quia apud nos multi ex Studiosis impie & dissolute vivunt, Studium Theologiæ negligunt, nec unquam fundamenta fidei sufficienter addiscunt, ex quibus multi postea commodi alicujus gratia ad hæreticos se conferunt: in causa est, quod apud nos perpetua est discordia, perpetua bella & seditiones, Tempa & Scholæ concidunt. Quod si hæc ita inter se coherere dubitetis, fingite nullos Religionis & controversiarum imperitos ad hæreticos abivisse, nullos rediisse vel ab ijs huc missos esse. Nullos Posservinos, nullos Herbestos, Dionysios, Gallos, Klosterlaffos/Forbetios fuisse, neq; nova Liturgia nobis obtrusa

D

fuis-

fuiſſet, non alia novitates tentata, non Profeſſores carceri fuiſſent traditi, non fideles verbi Miniſtri ab officio remoti, non Regis filius in alia religione educatus, non bellum propterea Religionis cauſa ſuſceptum, nullo opus fuiſſet externo milite, nullus militum delectus domi habendus, non novæ exactiones urgenda. Quibus ſublatis neq; voluntas neq; facultas reparandi & reſtitutionibus amplificandi Scholas & Tempſa defuiſſet, nõ otium condendi bonas leges & conditas conſervandi, quamvis id quantum fieri poteſt etiamnum non negligatur. Summatim, mala fere omnia quibus nunc premimur ſublata eſſent, & eorum loco omnia bona affatim ſuppeterent. Quamobrem Studioſi juvenes ſi bene cupitis patriæ veſtræ, ſi vobis ipsis bene proſpicere velitis, ſi pace gaudetis, redeamus in viam aliquando, emendemus vitam, impietatem & ſecuritatem fugiamus, deſeramus nebulonum cohortem, adhareamus ſemel agnitæ veritati, amore proſequamur eos qui veritatem hanc conſtanter defendunt. Unus DEUS eſt, una Fides, unum Baptiſma, cur non una mens & unus animus nobis eſt; quod ut eſſe poſſit, fundamenta & rationes fidei veſtræ addiſcite, pietati & modeſtiæ vos aſſuefacite. Ego præibo & viam comonſtrabo, vos ſequimini & rectæ viæ inſiſtite, ſive legendo, ſive diſputando meam operam requiritis, nulli vobis deero, totum me vobis dabo. Sed de his plura dicendi aliàs forte datur occaſio. Reſtat ultimum maximeq; neceſſarium, quia rem arduam & difficilem aggredimur, quam ſine ope Divina expedire non poſſumus. *Deum quippe diſcere nemo poteſt Deo non docente,* ejus Majeſtatem ſupplices rogemus ut oculos & mentem

tem nobis aperire dignetur, ut quæ in verbo ejus aliàs obstrusa & obscura videntur, recte percipere & intelligere valeamus. Oremus cum Regio Propheta dicentes. Domine doce nos justificationes tuas, revela oculos nostros & considerabimus mirabilia in lege tua. Da nobis intellectum ut discamus testimonia tua. Servi tui sumus, instrue nos, ut intelligamus mandata tua. Dirige nos Domine in lege tua, ut quæ facimus tibi grata & nobis salutaria sint, per & propter dilectum Filium tuum Dominum nostrum JESUM CHR IStum.

D I X I.



Plinius L. 32. c. 1.

*Torpedo pisci haud nocet nisi contactu, hoc v. etiam virus suum ab are per linum, & arundinis internodia ad Piscatoris manum mire transmittit, sic improbi ac pestilentes, si nihil cum illis habeas commercij: Verum quacumq; consuetudine contacti morum venena afflant.*

Seneca.

*Ut qui in Solem venit, licet non propterea venerit, nihilominus coloratur, & qui in unguentaria taberna paulo diutius commorantur odorem loci secum ferunt: ita qui cum sapiente consuetudinem habent, etiamsi hoc non agant, tamen redduntur meliores. Adde. Et contra qui cum errantibus & hæreticis conversantur, etiamsi hoc non intendant, imo hoc vitare conantur, in errores & hæreses vel ignorantes incidunt.*

ERRATA *Quadam Typogr.*

- Lit. A pag. 1. f. 1. lin. 14. Dissentiones pro dissensiones.  
f. 2. l. penul. sodoles pro sodales.  
A 2. f. 1. l. 24. Sudiosi pro Studiosi.  
Ibid. l. 29. Proch pro proh.  
f. 2. l. 17. Exhortatiooes pro exhortationes.  
A 3. f. 1. l. 13. sustenētis pro sustinetis.  
Lit. B 1. f. 2. l. 6. preceperint pro perceperint.  
B 2. f. 1. l. 8. altra pro altera.  
& l. 21. figmentis pro pigmentis,  
l. 20. vederetis pro videretis.  
l. 24. fcilimè pro facilimè.  
f. 2. l. 1. desserere pro differere.  
B 3. f. 1. l. 30. allienum pro alienum.  
B 4. f. 1. l. 25. percuttere pro percutere,  
Lit. C 2. f. 2. l. 9. præmimur pro premimur.  
Præter alia leviora in distinctionibus, &c,

